

Solutio.

Solutio fit respondendo ad qvamlibet qvæstionem distinctè. Nunquam enim ad plures qvæstiones simpliciter est respondendum. ut : *Desistine furari?* duplex est interrogatio : 1. *furatus es?* 2. *desisti?* Ne igitur talibus συστημασι nobis adversarii imponant, cautè dispiciamus oportet.

CAPUT XIV.

Fuerunt metæ Sophistarum *principales* ἀπλῶς ; Seqvuntur jam qvæ πῶς seu certo modo sunt tales.

Suntq; vel ψεῦδος, *Falsum*, vel *Paradoxon*.

Meta Falsi est concessio manifestè falsi, vel negatio manifestè veri, ad quod concedendum vel negandum vi argumentationis *Respondens* compulsus est. ut, si quis cogatur concedere : *cælestis sidus latrare posse*, hoc Syllogismo :

O. canis latrare potest :

Sidus cælestis est canis :

E. Sidus cælestis latrare potest.

Q 2

Falsi